

(101)* Praenobilissimo Dno Doctori ac Professore
C. C. a Linné

Fautori suo aestumatissimo

S. pl. d.

J. Zoëga.

Nimis forte sero ad Te veniunt hae meae Litterae, sed culpam eius in me non esse persuasum habeas. Exspectauimus plura semina ex Anglia, Belgio et Hamburgo, quae omnia nescio quo fato huc vsque nondum aduenerint. Hinc mitto Catalogum eorum quae habemus, rogans vt ex his eligas, quaecunque tibi grata esse possint, mihi que quam primum poteris eorum enumerationem mittas, quum et ego aequè mox omnia ea mittam, quae ex desideratis nobis in tanta copia sint, vt partitionem sinant...¹⁾ Dabam Hafniae d. XI. April. Ao. 1767.

Nobilissimo Dno Doctori et Professore a Linné, Filio.

(102) Generosissimo ac Praenobilissimo

Dno C. a Linné

Equiti Aurato, Archiatro Regio, Doctori ac
Professore celeberrimo;

Fautori ac Praeceptoris suo ad cineres colendo

S. pl. d.

J. Zoëga.

Vt maximo TVO desiderio satisfaciam, priusquam ad reliqua Litterarum TVARVM respondeam, de famosa Thea Roeskildensi certiore TE faciam. Nil vero mihi gratius foret, quam TIBI praesentiam verae Theae ab omnibus desideratissimae in patria nostra annunciare, nec certissime, si vera esset Thea, tam diu tacuissem. At proh dolor! famosa illa et tam laudata Thea non solum non est Thea, sed ne quidem alia rarior frutex. Est enim Veronicæ spicatae species, et quantum e speciminibus nimis paruis videre licuit

¹⁾ Om Sendinger af Frø, og Planter.